

Forfatter: Helgesen, Poul

Titel: Udrag fra Chronicon Skibyense

Citation: Helgesen, Poul: "Skrifter af Paulus Helie 6. Bind / ved Marius Kristensen og Hans Ræder. - 1937 Udgivet af Det Danske Sprog- og Litteraturselskab", i Helgesen, Poul: *Skrifter af Paulus Helie 6. Bind / ved Marius Kristensen og Hans Ræder. - 1937 Udgivet af Det Danske Sprog- og Litteraturselskab*, 1932-1948, s. 100. Onlineudgave fra Arkiv for Dansk Litteratur: <https://tekster.kb.dk/catalog/adl-texts-helg06val2-shoot-idm140415584943568/facsimile.pdf> (tilgået 24. april 2024)

Anvendt udgave: Skrifter af Paulus Helie 6. Bind / ved Marius Kristensen og Hans Ræder. - 1937 Udgivet af Det Danske Sprog- og Litteraturselskab

100

Chronicon Skibyense

grauis et intolerabilis. Multi sunt ecclesiasticorum osores, quia opibus et possessionibus sunt felices, non quod ipsis male utantur, sed quod possideant, atque iccirco magis odio quam zelo cupiunt uiros ecclesiasticos reformari.

5

Eodem anno mense Augusto, ipso die feriarum beati Bartolomei, habitus est Malmogie solennis dominorum conuentus inter regem Danorum Fridericum primum ac D. Gostauum Erici, electum regem Suetie, pro firmando perpetua pace inter hec tria regna, quo fortius obsistere possent trium regnum immannissimo hosti regi Christierno, iam e regno profligato. In quo conuentu communi consensu statutum est, ut Gotlandia insula (de qua semper inter Danos et Suecos fuerat controuersia) esset sub ditione regni Datie, quemadmodum iam fuerat centum uiginti annos et ultra, a temporibus Waldemari patris Margarete regine trium regnum. Restituta fuit etiam Blekingia, que duobus pene annis a Suecis fuerat occupata, dolo et fraude intercepta in fuga regis Christierni secundi famosi tyranni. Hec pax et concordia facta est authore magistratu Lubecensi, qui tum regebat dictum Gostauum, cuius suffragio et procuratione electus erat in regem Suetie, cum tamen tanto principatu uideretur indignus, cum ob generis ignorantiam, tum maxime ob animi ferociam atque ignauia pectoris nimiam superbiam.

69

Eodem anno mense Septembri, xxiiii die mensis periit Naufragio magister Ioannes Mwle recens consecratus episcopus Opsloensis, non procul a monasterio Westerwiig. Impegerat namque in uadum ipsa nauis ui tempestatis impulsa, qua confacta coniecit

Ioannes
Mwle epis-
copus Opslo-
ensis sub-
mersus.

20

25

30